



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De poema mulieris paraliticae, propter corpus Domini, quo super caules
suos seminauerat, cap. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

MVlier quædam cum apes multas nutrire, & illæ non proficerent, imò passim morerentur, cum contra hoc remedium circumquaque quæreret, dictum est ei, quia si corpus Domini inter illas locaret, mox lues ipsa cessaret: quæ ecclesiam adiens, & se communicare velle simulans, corpus Domini sumpsit, quod statim à sacerdote recedens extraxit, & in vno ex alueolis illud locauit: Mira Dei potentia: vermiculi creatorem agnoscentes, de fauis iuis dulcissimis hospiti dulcissimo capellulam miræ structuræ fecerunt, in qua altare eiusdem materiæ erigentes, sacratissimum corpus super illud posuerunt: & benedixit Dominus operibus eorū. Processu temporis, cum femina idem vasculum aperuisset, & iam dictum oratorium cōsiderasset, expauit, currēnsque ad sacerdotem, confessa est ei omnia, & quæ egit, & quæ vidit. Tunc ille assumptis parœcianis suis, ad vasculum venerunt, apes circumuolantes & in laudem creatoris bombifantes abegerunt, capellulæ parietes, fenestras, tectum, campanile, ostium, & altare admirantes, corpus Domini cum laude & gloria retulerunt. Licet autem mirabilis sit Deus in Sanctis suis, mirabilior tamen in his minimis prædicatur. Ne ergo aliquis de cætero tale quid præsumat, referam tibi rem terribilem, quæ mihi anno præterito magistra de insula sancti Nicolai recitauit.

CAPVT IX.

FVir in eadem insula puella quædam obfessa, laica tamen, quam & ego ibidem vidi. Requisitus diabolus à quodam sacerdote, cur tanto tēpore tam crudeliter Hardifa de Cogeme torqueretur, per os puellæ respondit: Quia bene & optimè meruit, ipsa altissimū super olera sua seminavit: qui cum verbum minus intelligeret, nec ille exponere vellet, sacerdos feminam adiit, quid de ea diabolus dixerit exposuit, monens ne negaret, si intelligeret. Quæ statim culpam confessa est, dicēs: Verbum bene intelligo, quod nunquam tamen homini per me publicatum est: Quando iuuen-

Psal. 6.

Sacra
Eucha-
ristia ab
iuentis pu-
eris.

M m 5 cula

cula eram, & hortum excolendum suscepissem, nocte quadam mulierem vagam hospitio recepi, cui cum damna horti mei exposuissem, asserens omnia olera ab erucis deuorari: respondit illa: Bonam te instrua medicinam: accipe corpus Domini, & comminue illud, sicque super olera spargas, & statim lues cessabit. Ego misera, cui maior cura erat de horto, quam de sacramento, cum in Pascha corpus Domini suscepissem, & extractum de ore fecissem sicut edocta fueram, quod oleribus in remedium, mihi teste diabolo factum est in tormentum. **A P O L L O N I V S:** Crudelior erat mulier hæc ministris Pilati, qui **I E S V** mortuo pepercerunt, ne ossa eius comminuerent. **CÆSARIVS:** Idcirco vsque hodie luit maximum id peccatum, & sunt cruciatus eius inauditi. Attendant hanc pœnam, etiam non culpam, qui Deifica sacramenta ad temporalia, vel, quod execrabilius est, ad maleficia conuertunt: etiam vermes, si reuerentiam circa hoc sacramentum negligant, aliquando pœna mulctantur.

CAPVT X.

*Anima-
lia vim
eius sen-
tiunt.*

ANno præterito, cum quidam ex sacerdotibus nostris coram Episcopo Theoderico missam quotidianam de Domina nostra celebraret, in ipsa hora fractionis, musca grandis circa & supra calicem volitare cepit, ita importunè, vt quasi vi velle intrare videretur: Sacerdos timens ac tremens, cum manus haberet occupatas, & muscam exufflaret, nec proficeret, Henricum Diaconum, qui hora eadem Episcopo pacem porrigebat, tussiendo crebrius aduocauit. Tunc illa alacri volatu altius labens, præsumptionis culpam ibi luit, quia post morulam, completa sumptione atque ablutione, intuente sacerdote, quem turbauerat, quasi lapillus, inter corporale & calicem extincta ruit, quam Diaconus de altari projecit. **A P O L L O N I V S:** Satis me delectat hæc narratio. **CÆSARIVS:** Etiam Dominus in simplici pane, tanto sacramento assignato, quandoque miracula operatur.

CA.